



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

XXXVIII. Non licere a Iudaeis azyma accipere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

ricos magos & incantatores esse, aut facere quæ dicuntur phylacteria, quæ sunt magna obligamenta animarum: hos autem, qui talibus rebus videntur, proiici ab Ecclesia iussimus.

XXXVII.

Non oportet a Iudæis vel hæreticis feriatica, quæ mittuntur, accipere, nec cum eis dies agere festos.

XXXVIII.

Non oportet a Iudæis azyma accipere, aut communicare impietatibus eorum.

XXXIX.

Non oportet cum paganis festa celebrare, & impietatis eorum habere societatem.

XL.

Non oportet vocatos Episcopos ad Synodum contemnere, sed abire debere, & aut docere, aut doceri quæ sunt ad Ecclesiæ ceterorumque correctionem. Quod si contempserit, seipsum videbitur accusasse: nisi forte per infirmitatem ire non possit.

XLI.

Non oportet ministrum altaris, vel etiam laicum sine Canonicis literis, id est, formata, aliquo proficisci.

XLII.

Non oportet ministrum altaris vel quemlibet clericum præter iussionem Episcopi ad peregrina proficisci.

XLIII.

Non oportet ministros vel breui tempore ab officiis deesse, & orationi vacare.